Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26379
Copyright: Admont, Benediktinerstift

cisione per praedicatores adducta ihesus supersedebat.
quia in eorum praecordiis habitabat dicens eis. discite
a me quia mitis sum et reliqua. Et imposuerunt super eos
uestimenta sua et reliqua. Vestis apostolica vel doctrina
uirtutum vel disertio scripturarum vel ecclesiasticorum dog
matum uarietas intellegi potest quibus nisi anima
instructa fuerit et ornata sessorem habere dominum
non meretur. Plurimae autem turbae strauerunt uesti 6
menta sua in uia. Portante domino asino multi
uestimenta sua in uia sternunt. quia sancti martyres
propriae se carnis amictu exuentes simplicioribus
dei famulis uiam suo sanguine parant. ut uidelicet
inoffenso mentis gressu ad supernae menia ci
uitatis quo ihesus ducit incedant. Moraliter ihesus
asinam sedens ierosolimam tendit. quando cuiuslibet
fidelis animam regens uidelicet iumentum suum
ad pacis intimae uisionem ducit. Vestimenta uero in
uia sternunt qui corpora sua edomant ut ei iter
ad mentem parent vel exempla bona sequentibus pre
beant. Alii autem cedebant ramos de arboribus et reliqua. 1
Ramos vel frondes de arboribus cedunt qui in doctrina
ueritatis uerba atque sententias patrum vel eorum eloquio
excerpunt et has in uia dei ad auditoris animum
uenientis humili praedicatione summittunt.
Turbae autem quae praecedebant usque osanna in excelsis. 8